PA 6789
.H3
Copy 1

PA 6789
.H3
Copy 1

DE

PANEGYRICO IN MESSALLAM TIBULLIANO

DISSERTATIO

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

FRIDERICUS HANKEL

THURINGUS ESPERSTADIENSIS

82537

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXXIV

PA6789
.H3

Quamquam saepenumero virorum doctorum ingenia et sagacitatem soleo admirari, nec ignoro quantum arte critica ipsiusque ingenii acumine in veterum scriptis emendandis et explicandis illi profecerint, tamen in eo nonnulli haud recte iudicare mihi videntur, quod obliti, quae sit rerum humanarum condicio, nimiaque antiquitatis aestimatione perducti, omnia fere veterum scripta, quae ad nostram aetatem pervenerunt, perfecta atque omnibus numeris absoluta esse voluerunt. Hac autem nimia ingenii et virtutis veterum admiratione factum est, ut nonnulli, si quid imperfecti vel vitiosi eorum virorum nomine ferebatur, quos propter reliqua scripta negabant satis umquam laudari posse, statim id falsum esse iudicarent ac scriptori eriperent.

Similiter actum est cum Albio Tibullo poeta. Ac ferri quaedam, quibus Tibulli nomen falso sit inscriptum, negari non potest. Tertius enim liber, Lygdami cuiusdam carmina continens, propter Tibulli similitudinem ipsi eius nomini adiectus est, itemque Sulpiciae puellae epistulae, quae elegiarum Sulpiciae amorem tractantium quasi argumentum praebent, ab eo, qui suprema Tibulli carmina in lucem protulit, veris poetae scriptis iniuria adiunctae esse videntur, qua de re nunc viri docti omnes consentiunt.

Summa autem dissensio est de panegyrico qui dicitur ad M. Valerium Messallam misso, quem primum libri quarti locum editores obtinere voluerunt. Qui cum multis locis illa elegantia, qua plurimae Tibulli elegiae praestant, careat, ab illis, qui nihil nisi praeclarissima a poeta proferri potuisse putant, ei est ademptus. Alii enim hoc carmen posterioris aetatis esse dixerunt, alii ab ignoto quodam adulescentulo, qui Messallae aequalis fuerit, scriptum esse suspicati sunt.

Atque haec res tantum abest ut ad liquidum perducta esse videatur, ut, si in ea quaestione explananda operam collocarem, operae pretium facturus esse mihi visus sim, eo confisus, quod fere omnes, qui in hoc inciderunt, breviter rem perstrinxerunt, nemo, ne Bachius[1]) quidem, cum is uberius in hac quaestione versaretur, singula accuratius persecutus sit.

Atque equidem quamquam non sum nescius, quantae difficultatis sit monumentum aliquod litterarum una cum aperte insitivis nobis traditum idemque multis locis a genuinorum elegantia et rebus et verbis discrepans a doctorum virorum suspitione defendere ac liberare, nihilo minus Tibulli esse illud carmen, quod inscribitur Messallae, demonstrare mihi proposui. Quam sententiam meam ita defendam, ut primum eorum opiniones infringam, qui carmen a posterioris aetatis homine ingenii exercendi causa conscriptum esse putant, deinde eorum argumenta impugnem, qui carmen propter ipsius condicionem a Tibullo abiudicant, tum nonnulla afferam, quibus commotus ipse Tibullo poema tribuam, postremo eos refellere studeam, qui propter tempora rationes Panegyricum Tibulli esse negant.

Sed prius quam ad rem ipsam aggrediar, paucis mihi adumbrandum est, quod sit totius carminis argumentum quidque poeta sibi proposuerit. De quo quidem sic Heynius:

'Laudes[2]) Messallae canere aggressus poeta, primum excusat tenuitatem ingenii sui (v. 1—27), inde laudem orditur a virtutum praedicatione, quod eae prosapiae vetustate illustriores sint; inde (v. 39) laudem dispescit in castrensem et forensem; quod ad hanc attinet, comparat Messallam cum Ulysse; cuius mentione facta, in errores eius evagatur (usque ad versum 105). Inde res Messallae bello gestae (117 sqq.) et maiorum rerum omnia ex auspiciis consulatus Kal. Ian. U. C. 723 suscepti (119—124). Commemoratis terris ac populis, ex quibus triumphos habiturus esset Messalla, incidit poeta in descriptionem orbis terra-

---

[1]) Bachius in Epistola critica in Tibullum, Pseudo-Tibullum et Propertium, ed. Gothae a. 1812.

[2]) Albii Tibulli carmina, Lipsiae ed. a. 1817, p. 223.

rum, diversarumque eius plagarum sub diversis caeli partibus (151—176). Inde iterum excusat virium tenuitatem, etiam ex languore animi adversis casibus fracti (177—189). Addictum tamen se Messallae profitetur in perpetuum (190 ad finem).'

Vides adulescentulum quendam, qui iam annis u. c. 712 vel 713, cum triumviri rerum erant potiti, naufragium totius paene rei familiaris fecerat, veritum ne iterum in simile rerum discrimen vocaretur quod anno 723 imminebat[1]), Messallae eius anni consuli facto se commendare studere, ut id, quod ex pristina calamitate servaverat, potentissimi consulis auxilio retineat. Nec plura sunt, quae ex ipso carmine de poetae persona colligi possint.

Verum Heynius, qui nonnulla Panegyrico praefatus est[2]), etiam haec pauca vera esse negat totamque rem a rhetore quodam posterioris aetatis exercitationis causa fictam et ipsum carmen a librario, ut paginas aliquot vacuas compleret, inter Tibulli scripta receptum esse suspicatur. Quem secutus est Weichertus[3]), qui maxime a Valgi[4]), ut epici poetae, commemoratione sententiae suae adminiculum deprompsit. Audivisse enim illum versificatorem, Tibulli atque Messallae memoria fuisse quendam poetam Valgium, neque aliam fuisse causam cur in Panegyrico Valgi mentio fieret. Credere autem se ipsum non posse, Tibullum adeo desipuisse ut, quem nullis inter aequales epicis carminibus inclaruisse constaret, eum tam magnifica atque fere insulsa laude mactaret, ut Homero proximum diceret. Colorem vero illum aurei saeculi, quem Bachius[5]) in carmine inesse praedicet, semet ipsum indagare non posse. Qua in re miror quantopere utriusque viri sententiae inter se discrepent; sed cum neuter verba argumentis confirmaverit, hanc contentionem hoc loco ut inanem omnino mitto.

Nec magis illud, quod de Valgio Weichertus protulit,

---

[1]) Cassius Dio L, 10. 16 et 20. LI, 3. LIII, 2.

[2]) Observat. et indic. in Tibull. p. 318 sqq.

[3]) Poetarum latinorum reliqu. p. 214.

[4]) Paneg. v. 180.

[5]) Epist. crit. p. 64.

mihi probatur. Nihil enim veri dissimilius esse videtur, quam quemquam, qui non modo primoribus labris doctrinam humanitatemque attigisset, sed etiam in obscuritate mythologiae, geographiae, aliarum disciplinarum fere habitaret, non habuisse cognitum, sub ipsum illud tempus, in quo carmen suum versaretur, in rebus epicis elaborasse non Valgium, sed Vergilium, eumque, etiamsi Aeneis nondum fuerit perfecta absolutaque, tamen summum epici generis magistrum evasurum esse neminem non iudicasse. Atque ipse sat persuasum habeo, si indoctus aliquis posterioris temporis iuvenis Panegyricum composuisset, eum non Valgium, sed Vergilium ut epicum Augusteae aetatis poetam fuisse nominaturum. Quare mihi haec, quae de Valgio dicta sunt in Panegyrico, non indocti hominis fuisse videntur, sed eius, cui clariores epicorum carminum scriptores non fuerint in promptu, Vergilius autem ignotus fuerit. Quod autem et Ovidius[1]) et Panegyrici scriptor Homeri nomen eodem adiectivo 'aeternus' exornant, inde non efficitur ut, qui Panegyricum condidit, Ovidium imitatus esse videatur; immo eodem atque etiam maiore iure Ovidium contendas, qui plurima e Tibulli elegiis nec nihil e Panegyrico repetiit, in illo adiectivo eligendo secutum esse scriptorem Panegyrici. Quamquam haec similitudo fortasse etiam casui debetur. Sed maxime illud torquet Weichertum, quod in illo carmine Valgius epicorum poetarum in numero sit relatus, cum ea de re nihil memoriae sit mandatum. At in hoc poesis genere ne necesse est quidem Valgium elaborasse. Legimus enim Pan. v. 179 et 180:

Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
Valgius, aeterno propior non alter Homero:

quibus versibus nihil indicatur, nisi qualem aequales maximeque sodales Valgium evasurum quantaque prolaturum eum esse putaverint. Eodem modo M. Vipsanius Agrippa sperasse videtur fore ut, quae ipse terra marique magna edidisset, ab Horatio laudibus ac carmine epico celebrarentur[2]). Atque ipse Horatius alio loco[3]) dicit carmen epicum se for-

[1]) Epist. ex Ponto II, 10, 13.
[2]) Carm. I, 6.
[3]) Sat. II, 1, 17 sq. Similiter Carm. II, 9, 18.

tasse conditurum esse. Attamen hanc ob rem ne a Weicherto quidem Horatius in epicorum numerum refertur. Quare nihil causae esse videtur, cur in Valgi commemoratione haereamus.

Sed iam videamus, quid Heynius suam ad sententiam comprobandam congesserit.

Atque in vulgus notum est adulescentulos in rhetorum scholis praeclara nomina aut facta inprimisque ea, quae essent aut ab ipso Augusto aut ab amicis eius gesta, proponere sibi solitos esse quae versibus et laudatione persequerentur. Eo autem rhetorum more Heynius dicit factum esse, ut panegyricus in Messallam componeretur. Qua in re primum quaeritur, utrum versificator ille id spectaverit, ut clarissimo Tibulli nomini suum carmen subiceret, an Tibulli rationem omnino non habens nullum aliud consilium sit secutus, nisi ut scriptitando et versibus faciendis bene dicendi facultatem sibi pararet: quorum utrumque a multis saepe factum esse constat. Nec difficilis haec quaestio ad solvendum mihi videtur esse. Nam Panegyrici scriptorem, si Tibullum imitari vellet, non heroico metro, quo ille, si non est ab eo Panegyricus compositus, nusquam usus est, sed elegiaco carmen condere debuisse apparet. Neque in primis operam posuisset in adsciscendis fabulis, quas in elegiis Tibullus contra eius aetatis consuetudinem, quo maiores in arte progressus faciebat, eo magis sprevit. Ad extremum ipsa orationis conformatio ususque verborum adeo non Tibulli in elegiis dicendi rationem refert, ut hanc ipsam ob causam viri docti carmen Tibulli esse negaverint. Nihil nisi versuum pangendorum rationem cum Tibulliana conferre licet, quae ita similis, immo prorsus eadem est atque Tibulli, ut Lucianus Muellerus[1]) eum ducem panegyristae ac magistrum fuisse contendat. Sed huius cognationis alia mihi causa esse videtur, quam paullo infra explicabo. Nunc hoc dico: mirum esse quod quispiam, elegiarum scriptore ad imitandum proposito, nihil nisi hexametri faciendi subtilissimas leges sit secutus.

Haec autem omnia cum animo complector, recte iudi-

---

[1]) in edit. Tib. praef. p. XXVIII.

care mihi videor, cum eum, qui Panegyricum composuit, consulto ac studiose Tibullum imitatum esse nego.

Alteram igitur rationem et condicionem, qua ex Heynii sententia carmen scriptum esse poterat, refellimus: restat, si in Heynii opinione perstemus, ut scriptorem aut nullo alio consilio adductum nisi ut vires exerceret, aut reputantem animo, quibus in angustiis anno 723 adolescentulus quidam versatus esset, et assimulantem se eum esse qui in illud omnium rerum discrimen vocaretur, carmen contexuisse ponamus.

Ac si priorem illam sententiam persequimur, primum illud in mentem revocandum est, argumentum sibi elegisse scriptorem ab iuventutis more ac ratione alienissimum. Nam cum nihil maiore cum ardore et studio adolescentuli amplectantur, sicut omnes experti sumus, quam ut summorum virorum praeclarissima facinora domi militiaeque gesta luxuria quadam orationis omnibusque laudibus in caelum tollant, hic poeta in laude versatus Messallae, qui Romae aliquot causas dixit quique quibusdam levibus proeliis interfuit et aciem instruere militesque armis erudire didicit, exilem et prorsus inanem materiem sibi proposuit. Sed summi in hac re diiudicanda momenti esse videtur, quod omnium illarum rerum, quas post annum 723 Messalla gessit, quaeque revera dignae erant quae laudarentur, poeta mentionem non facit. Et omisit quidem Messallam in pugna ad Actium commissa parti classis praefuisse et in Asia magnam servorum manum delevisse[1]); silentio praeteriit eundem cum Aquitanis debellasse ac triumphum egisse[2]). Quam vero postea Messalla animi magnitudine ac libertate gloriam est consecutus[3]) quamque doctrinae litterarumque studiis laudem sibi peperit[4]), ne verbo quidem poeta in Panegyrico attigit, quamquam haec omnia talia erant, quae summo iure laudibus efferrentur. Quare, quae post annum 723 Messalla gessit, poeta non neglexisse vel praeteriisse, verum nesciisse videtur.

---

[1]) Cassius Dio LI, 7.
[2]) Appian. b. c. IV, 38.
[3]) Tac. Ann. VI, 11.
[4]) Quintil. X, 5, 2. I, 7, 13 et 34.

Iam vero, si nihil nisi laudationem conscribere rhetor ille voluit, qui factum est ut precibus Messallam adiret? quae, si sine certo consilio sunt adiectae, prorsus ineptae sunt.

Quamobrem, si vel sic cum Heynio faciamus, unum illud relinquitur, ut adulescentulum iniqua fortunae condicione anno 723 usum ante oculos poetam habuisse atque quasi eius partes egisse iudicemus.

At cur Messallam potissimum poeta sibi elegit, quem imploraret? Cur non Octavianum appellavit, qui, tum rerum potiturus, rem publicam fere totam ad suam voluntatem gerebat, cum Messalla, quamquam consulatum administrabat, nulla prae Octaviano auctoritate in civitate uteretur? Nam si libera rerum eligendarum poetae potestas fuisset, in Octaviano laudando multo maiora in promptu erant, quibus describendis ingenium virtutemque ostenderet. Sed etiam plura sunt, cur veram esse sententiam quam nunc persequimur credere nequeam. Etenim scriptorem Panegyrici, si non ipse ad incitas redactus revera de re familiari timuisset, non puto tanta modestia usurum fuisse, quantam in versibus 181—191 panegyrista prae se fert; immo existimo eum, quoniam ne repulsus abiret ei non erat metuendum, magna potius voce pristinae fortunae interitum deploraturum et cum quadam confidentia et importunitate salutem a Messalla fuisse postulaturum, quorum utrumque factum non est. Sed post annum 723 Panegyricum scriptum esse non posse inde maxime perspicitur, quod is qui carmen condidit nonnulla de Messalla praenuntiat, quae postea non sunt facta. Dicit enim Messallam non solum cum Gallia, Hispania, Aegypto debellaturum, sed etiam Persas, Parthos, Britannos in Romanorum potestatem esse redacturum: quorum nihil Messallae contigit. Eum autem, qui totam Messallae vitam cognitam habuisset, tales errores vix admissurum fuisse arbitror. Neque apud alios poetas, ut apud Vergilium[1]), Ovidium[2]) ipsumve Tibullum[3]) quicquam simile reperitur, quando non res gerendas

[1]) Verg. Aen. VI, 760 sqq.
[2]) Ovid. Metam. XV, 815 sqq.
[3]) Tib. II, 5, 39 sqq.

praenuntiare, sed res gestas ut futuras vaticinari solent. Quare Panegyrici scriptorem totam Messallae vitam ante oculos habuisse non est consentaneum.

Huc accedit, quod ipsa oratio totiusque carminis color omnibus fere partibus declarat Panegyricum post Vergili, Horati, Ovidi aetatem scriptum esse non posse. Nam etsi poeta firmissimas versuum pangendorum maximeque incisionum constituendarum leges sibi praescripsit, tamen elegantiam illam venustatemque dicendi et versuum componendorum facilitatem splendoremque, quibus virtutibus Augusteae aetatis poetae fere omnes excellunt, in Panegyrico frustra quaeres, ut nec Horati nec Vergili nec Ovidi libros in manibus habuisse Panegyrici scriptorem satis appareat.

Verba autem ipsa, quibus panegyrista utitur, non ab illis poetis repetiit, sed Ennium, Lucretium aliosque nescio quos superiorum temporum scriptores imitatus esse videtur. Sic quae legimus in Panegyrico vv. 123—129:

Splendidior liquidis cum Sol caput extulit undis
Et fera discordes tenuerunt flamina venti,
Curva nec adsuetos egerunt flumina cursus,
Quin rabidum placidis etiam mare constitit undis,
Nulla nec aerias volucris perlabitur auras
Nec quadrupes densas depascitur aspera silvas,
Quin largita tuis sint muta silentia votis —

simillima sunt eorum quae exstant apud Ennium[1]) Sat. reliq. Scip. IV, 10 sqq.:

mundus caeli vastus constitit silentio
Et Neptunus saevus undis asperis pausam dedit;
Sol equis iter repressit ungulis volantibus,
Constitere amnes perennes, arbores vento vacant.

Itemque Pan. v. 103:

Seu libeat duplicem seiunctim cernere Martem

ad Ennium referendus esse videtur, cuius haec sunt in Trag. rel. 297:

---

[1]) Elitionis Vahlenianae, quam in versibus enumerandis sequor, p. 156.

nam ter sub armis malim vitam cernere
Quam semel modo parere.

Et in Ann. 202:

Ferro, non auro vitam cernamus utrique.

Cernendi enim verbum cum accusativo coniunctum ita, ut vim habeat verbi decernendi de aliqua re, apud Ennium Plautum Varronem reperitur, a posterioris aetatis scriptoribus alienum est, ita ut hanc vocem, si non ab Ennio, at certe a superioris aetatis quodam poeta Panegyrici scriptorem repetiisse veri simillimum sit.

Plurima vero ille hausisse videtur e libris Lucreti, quae exempla cum sat multa afferre possim, tamen in his paucis, quae satis rem declarant, acquiescam. Iam versus 18—23 Lucretium redolent, imprimis libri V versus 449 sqq. Ad verbum autem fere illum imitatus est poeta versu 211:

Inceptis de te subtexam carmina chartis

conl. Lucr. VI, 42: Quo magis inceptum pergam pertexere dictis:
atque I, 419: Sed nunc ut repetam coeptum pertexere dictis.

Item versu 22 panegyrista scripsit:

Huic et contextus passim fluat igneus aether,

Lucretius habet V, 500 et 501:

liquidissimus aether
Atque levissimus aerias super influit auras.

Pan. 127: Nulla nec aerias volucris perlabitur auras,
Lucr. II, 145: Et variae volucres nemora avia pervolitantes
Aera per tenerum e. q. s.

Multa praeterea sunt de genere eodem, quae iam mitto. Illud vides: eum, qui Panegyricum composuit, Ennium et Lucretium secutum esse, id quod adulescentulum ad rem poeticam primum tendentem, si in manibus ei fuissent Vergilius et Ovidius, facturum fuisse vix putaverim.

At dicat quispiam tres esse versus in Panegyrico, qui ex Ovidio hausti esse satisque declarare videantur Panegyricum post Ovidi aetatem esse compositum. Versus autem hi sunt:

Pan. 161: Non igitur presso tellus exurgit aratro;
Ovid. Met. III, 104: Paret, et ut presso sulcum patefecit aratro
Spargit humi iussos ..... dentes.

Pan. 125: Curva nec adsuetos egerunt flumina cursus;
Ovid. Am. III, 6, 95: Aut lutulentus agis brumali tempore cursus.
Pan. 203: — seu tardi pecoris sim gloria taurus;
Ovid. A. a. I, 290: Candidus armenti gloria taurus erat.

At non est haec ea similitudo, ut imitationem factam esse pro certo statuamus. Sin autem revera Panegyrici scriptor his locis Ovidium esset secutus, mirum profecto esset, quod non plures carminis versus ex Ovidi libris sumpti essent. Cum vero constet[1]) Ovidium ex plurimis aetatis suae poetis hausisse, veri non est dissimile, si imitatio facta est, eundem Panegyricum, non post annum 723 ut vidimus confectum, legisse nonnullaque, quae ei in memoriam forte venerint, inde in sua scripta transtulisse, ut illa ipsa imitatio meae sententiae fortasse adiumento esse possit.

Sed Heynius Panegyricum non modo in posterius tempus rettulit, sed etiam ei attribuit scriptori, qui panegyricum in Pisonem confecit: qua in re unus Wiesius[2]) ab Heynii partibus stetisse videtur. Atqui incertum est, quis carmen illud composuerit; de ipso tempore, quo in lucem sit prolatum, magna virorum doctorum fuit controversia. Alii enim medii aevi temporibus, alii a Lucano, alii ab aliis alia aetate illud scriptum esse contenderunt. Sed nostra memoria codice quo carmen continetur invento, qui virorum doctorum consensu primis annis saeculi tertii decimi scriptus est, eorum maxime invaluit sententia, qui carmen conditum esse censent Nerone imperatore missumque C. Calpurnio Pisoni, qui illo tempore fuit[3]). Quare, si Heynii sententia vera sit, etiam laudationem Messallae Neronis aetate scriptam esse iudicandum sit.

Sed ut omittam eum, qui res a Messalla gestas versibus persequi sibi proposuisset, in ea parte vitae describenda, cum aliquid praeclari Messalla nondum perfecerat, non fuisse

---

[1]) Cf. Zingerlii de rationibus, quae inter Ovidium et veteres Augusteaeque aetatis poetas intercedant, commentatio ed. Oeniponti 1869.

[2]) Wiesius de M. Valerii Corvini vita et studiis doctrinae (ed. a. 1828) p. 71.

[3]) Vide Maehlyum in Fleckeiseni Annal. vol. 85 p. 286.

acquieturum, si revera totam eius vitam cognitam habuisset; ut praeteream eum, qui exercitationis causa laudationem scribere voluisset, aliud sibi argumentum fuisse sumpturum neque ad Messallae, sed ad Augusti, Agrippae, Maecenatis, aliorum laudem fuisse accessurum; ut mittam quam dissimile veri sit quemquam posterioris aetatis hominem in scribendo tamquam partes acturum fuisse adulescentuli anno 723 Messallae auxilium implorantis, id quod factum esse debet, nisi preces illas (v. 181—189) prorsus ineptas esse dixeris: hoc dico, propter unam versuum faciendorum rationem utrumque panegyricum ab eodem poeta scriptum esse non posse. Namque in 261 versibus panegyrici in Pisonem quattuor lenissimae inveniuntur vocalium litterarum elisiones, v. 14 'necesse est', v. 24 'atque illos', v. 81 'quare ego', v. 168 'credibile est' (secutus sum ordinem versuum Weberi[1]); in 211 versibus alterius carminis viginti sex: v. 12. 17. 28. 29. 43. 67. 70. 75. 77. 91. 101. 119. 133. 148. 152. 155. 156. 165. 166. 176. 179. 182 (duae). 196. 197. 210. Praeterea in Messallae laudatione 'et' particula, qua de re paullo inferius pluribus disseram, saepius post primum enuntiati verbum collocata est, in panegyrico in Pisonem nusquam.

Huc accedit, quod carminis in Pisonem scriptori Vergilius, Horatius, alii Augusteae poetae noti sunt, quorum libri ei, qui alterum carmen composuit, in manibus non fuerunt. Ea autem similitudo, quae inter nonnullos utriusque panegyrici versus intercedit, mihi quidem, illa quae antea dixi animo repetenti, non inde nata esse videtur, quod utrumque carmen ab uno poeta compositum sit, sed quod panegyrici in Pisonem scriptor altero carmine usus idque imitatus est.

Haec fere habui, quae dicerem contra Heynii eorumque opinionem, qui panegyricum in Messallam post annum 723 a quopiam inferioris aetatis poeta scriptum esse censent.

Hoc autem cum assecutus mihi esse videar cumque Panegyricum ad annum 723 referendum esse demonstraverim,

---

[1]) Incerti auctoris carmen panegyricum in Calpurnium Pisonem cum prol. ed. a C. F. Webero Marburgi a. 1859.

relinquitur, ut carmen anno 723 aut ab ignoto quodam poeta aut ab ipso Tibullo compositum esse arbitremur. Priorem rationem illam plurimi viri docti amplexi sunt, alteram paucis probatam ipsi pro viribus defendendam et confirmandam suscepimus.

Ac primum de eis, quae Bachius in epistula critica supra commemorata proposuit, paucis dicere mihi liceat. Qui quidem pag. 66 panegyricum quem nunc habemus ex simili aliquo Tibulli carmine, quod ad hanc aetatem non pervenerit, a tirone quodam ductum esse suspicatur. Verum hoc refutare longum est, praesertim cum ipse auctor huius sententiae certi nihil statuat. Neque enim necesse esse ait carmen illud prius anno 723 ab ipso Tibullo confectum ac Messallae missum esse. Sed cum ex ipsis Bachii verbis intellegi non possit, utrum Panegyricus, qualis nunc est, e Bachii sententia ab ignoto illo poeta anno 723 scriptus sit, an ab illo tirone postea sit retractatus, haec omnia ut supervacanea et otiosa iam mitto.

At enim Panegyricum ipsum nimis tenue esse dicunt carmen et ieiunum, sterile et parum ingeniosum, magis rhetoricum quam poeticum, saepe puerile durisque et asperis versibus intertextum, et si quae sunt similia. Paldamus[1]) vero eum, qui Panegyrici versus 25—27. 85—90. 201 usque ad finem a Tibullo scriptos esse vel suspicari possit, omnino ad Tibullum accedere vetat. Quodsi nihilo setius a proposito non deterreor et eas partes sequor, quas Ioa. Henr. Vossius, Gruppius, Teuffelius suscipere conati sunt, Paldami manes iuvenili audaciae ingenioque matura iudicii subtilitate nondum satis instructo veniam spero esse daturos. Neque id ego contendo, Panegyricum esse omnibus numeris absolutum; eorum sententiam maxime impugnare mihi proposui, qui conlatione optimarum elegiarum perducti Tibulli adulescentuli eundem atque maturitatem quandam adepti perfectionis gradum fuisse velint. Ea enim est generis humani condicio, ut etiam ei, qui eximiis ingenii viribus instructi ad scribendum se conferant, tamen iuvenili aetate

---

[1]) Paldamus in Eroticis Romanis a. 1833 ed. p. 51 et 52.

imperfecta quaedam proferant et aetate demum provectiores labore et studio acerrimo veram gloriam consequantur: quae res et Vergili et Horati et nostratis Schilleri aliorumque exemplis ita demonstratur, ut ne minima quidem dubitatio relinquatur.

Sed iam consideremus, quibus maxime causis factum sit, ut carmen de quo agitur in virorum doctorum suspitionem incideret. Atque ut omnia illa, quae eius scriptori Bachius, Dissenus, Hertzbergius, alii obiciunt, paucis complectar, quinque maxime mihi esse res videntur, quae viris doctis displicuerint: primum nimia et paene servilis modestia; deinde nimia adulatio et inepta laudis exaggeratio; tum malus usus doctrinae; post prava rerum dispositio et distributio; ad extremum mala indoles orationis.

Ac primum quidem disserendum est de nimia illa modestia, quam in versibus 1—17. 24—27. 177—178. 197—203 inesse dicunt. Quos versus si perlustraveris, illud primo aspectu aliquid offensionis habet, quod poeta viribus fidens ac diffidens modo ingenii exiguitatem excusat, modo elato et bonae spei pleno animo se esse declarat: quae causa fuit, cur Bachius[1]) et Dissenus[2]) Panegyrici scriptorem reprehendendo persequerentur. Ac poetam non satis sibi constare concedo. Sed haec ipsa inconstantia in discrimen, in quo ille versatur, optime mihi videtur convenire. Namque non nescius, quantum in eo positum esset, utrum carmen Messallae necne placeret, inter spem metumque suspensus versus suos panegyrista composuit. Quo factum est, ut modo in eam spem efferretur fore, ut versibus Messallae gratiam sibi conciliaret, sed adulescentulum se esse rerum imperitum non ignorans atque ad versus pangendos tum fortasse primum accedens, modo dubitet, num vires ad opus perficiendum sufficiant. Quare, quamquam haec inconstantia vitiosa est, tamen ita huc accommodata est, ut eam reprehendere liceat, monstruosam dicere non liceat. Iam quae initio carminis de ingenio suo disserit his versibus:

---

[1]) Epist. crit. 52 sqq.

[2]) Comment. in Tib. el. p. 385.

Te, Messalla, canam; quamquam me cognita virtus
Terret, ut infirmae valeant subsistere vires,
Incipiam tamen. a meritis, si carmina laudes,
Deficiant: humilis tantis sim conditor actis,
Nec tua praeter te chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis ut non maiora supersint.
Est nobis voluisse satis; nec munera parva
Respueris —

etiam Dissenus ferri posse concedit. Proximis autem versibus audaciam poeta exemplis e mythologia petitis excusat: quam comparationem Bachius et Dissenus vehementer vituperarunt. Equidem tamen non video, quid ineptiarum eis verbis insit. Namque cum poeta Messallam cum Apolline, Baccho, Hercule, semet ipsum cum hominibus illis conferat quorum dona illi di animo propitio acceperint, nihil significat nisi inter semet ipsum adulescentulum ignotissimum et Messallam consulem nobilissimum summam intercedere distantiam.

Multo maiore iure hoc illi improbaverunt, quod in versibus 177 et 178 est:

Non ego sum satis ad tantae praeconia laudis,
Ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus:

quae modum excedunt humilitatis. Contra iniuria Dissenus mihi invectus esse videtur in versus 197—200:

Sum quodcumque, tuumst. nostri si parvola cura
Sit tibi, quanta libet, si sit modo, non mihi regna
Lydia, non magni potior sit fama Gylippi,
Posse Meleteas nec mallem vincere chartas:

quae verba homine liberaliter educato digna esse negat. At poeta, sive vera Messallae admiratione commotus, id quod veri simile est, sive calamitatis metu adductus, ipsum totum se illi dediturum esse praedicat. Idemque sibi volunt versus 193—196:

Pro te vel rabidas ausim maris ire per undas,
Adversis hiberna licet tumeant freta ventis,
Pro te vel densis solus subsistere turmis
Vel pronum Aetnaeae corpus committere flammae.

Nihil hoc aliud est, quam cum et illis et his temporibus amici amicorum, pueri puellarum arbitrio toto pectore et cum

quadam orationis luxuria se permittunt. Ipsa autem haec promissorum exaggeratio iuvenilis animi propria est. Quis enim nescit pueros maximeque eos, qui teneriore animo utuntur, sive amoris vel gaudii impetu elatos sive odio vel maerore afflictos, quia usu vitae nondum satis eruditi sunt, omnes animi motus quasi in unum locum conferre atque in utroque genere modum migrare? Similiter de versibus 201—213 iudicandum est, qua de re paullo infra pluribus dicemus.

Omnia igitur illa vitia, quae in versibus quos modo tractavimus exstant, ab iuvenili poetae aetate non solum excusanda, sed indidem ducenda sunt. Nam poeta, ut paulo post demonstrabimus, cum Panegyricum scripsit, annum duodevigesimum vel ad summum vigesimum tertium egisse videtur. Praeterea in animum revocandum est, qualis omnino rerum tum condicio fuerit quaque causa commotus poeta carmen composuerit. Summis enim in angustiis versatus adulescentulus quidam ignobilis consulis populi Romani favorem carmine sibi comparare studet, ut salutis viam sibi muniat. Qua in re quid magis consentaneum est, quam ipsum scriptorem, morum ac naturae principum non immemorem, modestia se commendare maluisse, quam libero animo potentissimi viri in se contrahere indignationem? Quae modestia, etsi non numquam nimia est, tamen partim ipsa scriptoris condicione excusatur, partim inde nata est, quod poeta, quae est puerorum natura, modum servare nondum didicerat. Cui vero submissiore quam ingenuo homine digno animo uti panegyrista videatur, is meminerit quanta humilitate et verecundia non solum illa aetate, sed nostra etiam memoria litterae regibus et nobili loco natis mandatae redundent: quae tanta est, ut illius verba cum nostrorum hominum consuetudine vix possint conferri. Itaque hoc in genere non perfectissimi et sapientissimi cuiusque persona oculis proponenda est, sed temporum rerumque humanarum verae condicionis ratione habita de moribus hominum rebusque ab eis gestis iudicandum.

Sed haec de nimia modestia hactenus; iam venimus ad illud, quod de nimia adulatione et inepta laudis exaggeratione Dissenus aliique disputaverunt.

Atque ego tantum abest ut negaverim omnia illa, quae de Messalla consulatum inituro versibus 121—134 deque rebus ab illo gerendis versibus 135—150 poeta disserit, nimis esse aucta et amplificata, ut magis in Octavianum, quam in Messallam auctoritate et opibus illo multo inferiorem omnia convenire videantur. Verum omnium fere, qui unius alicuius viri vitam et res gestas enarrant, commune atque proprium est, eum ipsum praeter ceteros laudibus afficere omnibusque virtutibus exornare. Idque accidit Panegyrici scriptori, ut in Messalla celebrando veritatem egressus in hunc eas laudes conferret quibus vix dignus esset Octavianus. Atque cum ante annum 723 praeclara ille facinora nondum edidisset, poeta facere non poterat quin, quae illius erat virtus animique magnitudo pugna Philippensi et bello Illyrico iam spectata, summam gloriam et summa laudis praemia eum insequentibus temporibus adepturum esse praedicaret. Huc accedit quod eo anno, quo scriptus est Panegyricus, nondum manifestum erat, qualis rerum foret eventus nec quisquam pro certo habere poterat fore, ut paucis post annis eum locum obtineret Octavianus, ut eius nomen et praestantia omnium fere virorum virtuti tenebras offunderet. Versibus autem 193—196 scriptor, quae est poetarum dicendi ratio, nihil commisit, nisi ut pluribus dissereret exemplisque illustraret se paratum esse pro Messallae salute vel mortem oppetere.

Neque ipsa nimia adulatio et laudis amplificatio ab eius aetatis consuetudine abhorret. Nam Tibulli memoria quem fugit Romanos Caesarem dei instar veneratos esse et viros potentes tantis laudibus extulisse, ut eius aetatis homini talis adulatio vix opprobrio esse posset. Satis notum est, quantum in hoc genere Cicero praestiterit, quantamque Horatius et Propertius maximeque Ovidius, quamvis sollerter carminibus potentium virorum laudes intexuerint, adulandi culpam contraxerint. Quare si consideraveris adulescentulum aliquem, nec genere nec opibus distinctum, virum gubernaculis rei publicae adsidentem precibus adire, cum iudicium eius eo tempore, quo carmen scriptum est, parum etiam esset excultum et usu conformatum, propter nimiam adulationem non poetae

mores et naturam, sed omnes poetae aequales reprehensione persequamur necesse est.

Sed Hertzbergius[1]) fieri posse negat, ut is qui Panegyrici versus 181—189:

Languida non noster peragit labor otia, quamvis
Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget.
Nam mihi cum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci,
Horrea fecundas ad deficientia messes,
Cuique pecus denso pascebant agmine colles
(Et domino satis et nimium furique lupoque),
Nunc desiderium superest: nam cura novatur,
Cum memor ante actos semper dolor admonet annos —

scripserit et laudationis loco libellum flebilibus precibus redundantem composuerit, homo sit verecundus et honestus, nedum ingenium ostendat Tibulli, quem bona externa praeter omnes contempsisse constet. Cui sententiae si Paldami[2]) adiunxeris opinionem, qui Tibullum omnibus rebus ornatum et copiosum, a curis et sollicitudinibus remotissimum, voluptatum satietate defessum et prope fastidiosum fuisse contendit, facillime intelleges, quos in errores viri illi docti opinione praeiudicata inducti descenderint. Namque Paldamus primam libri primi elegiam vix legisse videtur, ubi haec habes:

v. 5: Me mea paupertas vita traducat inerti;
v. 25: Iam mihi, iam possim contentus vivere parvo;
v. 19 sq: Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra Lares.

Hertzbergio autem opponendum est, aliud esse tantum habere quantum ad vitam degendam sufficiat, aliud habere nihil. Nec video, quid tandem humilitatis illis verbis insit, quae omnia modestius quam impudentius dicta sunt. Idem fecit Vergilius[3]).

Quare quicunque humani generis naturam diligentius

---

[1]) Annal. Hal. a Rugio et Echtermeyero ed. vol. II (1839) n. 129.
[2]) Erot. Rom. p. 51 et 56.
[3]) Verg. ecl. 9.

perscrutatus hominum animos et officia non ad summam rationis normam, sed ad veram multorum imbecillitatem examinet, quicunque panegyristam non perfectum vel, ut est apud Stoicos, sapientem, sed ab ipsius aetate haud alienum hominem fuisse existimet, eum puto a meis partibus stare debere, ita ut nec propter nimiam modestiam, nec propter adulationem laudisve amplificationem Panegyricus abiudicandus a poeta, sed eius iuvenilitate et virium iudiciique infirmitate excusandus esse videatur.

Postquam de nimia modestia et adulatione verba fecimus, nunc de usu doctrinae pauca addenda sunt. Et huius quidem generis sunt fabulae, quibus carmen refertum est, zonarum descriptio et Ulixis errorum enarratio, exempla nimis longe petita. Atque ut primum de fabulis dicamus, Hertzbergius[1]) negat Tibullum, si fabularum Graecarum ineunte aetate studiosus fuisset, earum rerum studium postea fuisse depositurum; contra veri simile esse eum arte et ingenio sicut Propertium hoc ornandae orationis genus diligentius conformaturum fuisse et exculturum. At vero si oculis Tibullianas elegias perlustraveris, tam multos reperies locos, quibus fabulas partim leviter tetigit, partim uberius tractavit, ut in Hertzbergii sententia perstare vix liceat. Haec enim sunt apud Tibullum exempla:

I, 2, 40. 51—52; 3, 35 sqq. 58—80; 4, 25—26. 37—38. 63—64. 68—70; 5, 45—46; 7, 23—49; 10, 35—38.
II, 3, 11—28; 4, 55—56; 5, 9—10. 15—70.

Vides longe minus raram esse fabularum commemorationem apud Tibullum quam Hertzbergio visum est. Sed si diligentius animum adverteris, notabile tibi videbitur maximam in eis elegiis, quas primas omnium consensu Tibullus scripsit, fabularum copiam exstare. Sic in elegia septima libri primi per 26 versus de Osiri et Baccho poeta disserit; elegia quarta eiusdem libri plena est mythologiae; plurimarum autem fabularum mentio fit in libri secundi elegia quinta, cui communi doctorum iudicio extremam manum poeta non admovit. A libri primi elegiis prima, sexta, octava, nona

[1]) Annal. Halens. l. s. s.

totoque libro quarto fabularum ornatus omnino abest. Quare, nisi forte casu accidit, ut prima Tibulli carmina multas, ea quae sub vitae finem scripta sunt paene nullas res ad mythologiam spectantes contineant, iam in eam sententiam concedamus oportet, ut poetam aetatis suae consuetudine neglecta fabularum usum in elegiis evitare studuisse, funditus tollere non potuisse credamus. Itaque illam fabularum frequentiam ab adulescentuli ingenio non alienam nec impedimento esse iudicabimus, quominus Tibullo Panegyricum tribuamus.

Verum aegre ferunt Hertzbergius et Bachius, quod Panegyrici scriptor erroribus Ulixis narrandis et terrarum plagis describendis nimium a proposito aberraverit. Equidem vitium hoc esse libenter concedo, sed eam ob causam Tibullo carmen eripi debere nego. Namque si compares libri primi elegiam septimam, ubi Tibullus in Messallae triumphantis laude versans a versu 27 usque ad versum 48 de Baccho et Osiride verba facit, librique secundi elegiam quintam, ubi poeta de Messalino augure facto loquens Sibyllam multa de urbe Roma condenda narrantem facit, iam fatendum erit illas de Ulixe deque zonis digressiones, etsi minime laudandae sunt, tamen exemplis ex ipsis elegiis depromptis ita confirmari, ut in Panegyrico ferendae sint. Sed de ipsa zonarum descriptione paullo post dicemus.

Ac ne illud quidem cum adulescentuli moribus discrepat, quod Panegyrici scriptor exemplis longius petitis uti solet. Nam cum poeta nec generis nobilitate nec ingenio Messallae favorem sibi parare se posse speraret, doctrinae saltem studiis et scientiae ubertate illi se commendare voluit. Equidem illud non negaverim quod habet Dissenus[1]), 'malos poetas cupide arripere, si quid ornatum et splendorem afferre videatur; veram autem legem in usu digressionum esse, ut poeta, etsi videatur digredi longius a themate quasi ardore ingenii abreptus, revera ne verbum quidem dicat supervacaneum et quod non postuletur summo consilio carminis et huic prosit'. Sed haec artis poeticae praecepta postea fortasse in elegiis

[1]) ad Tibull. II p. 387.

iuvenis Tibullus secutus est: adulescentulo Tibullo non erant ea in promptu. Et ipse Tibullus, ut vidimus, eadem postea in hoc genere sibi indulsit.

Iam vero quid habet reprehensionis, quod poeta rerum obscurarum abditarumque memoriam revocavit, dummodo ad sententiam comprobandam essent accommodata? Nam Gylippus, cuius versu 199 mentio fit, primus bello Peloponnesiaco Atheniensium opes fregit atque hanc ob rem inter praestantissimos totius antiquitatis duces referendus erat. Itemque exempla, quibus poeta versibus 8—15 ingenii exiguitatem excusat, locum obtinent aptissimum. Namque non illud offendit, ut Bachius voluit, quod Icarus ut veneficus occisus est atque Erigona manum sibi ipsa intulit; sermo est de donis et beneficiis, quae illi dis obtulerunt. Quare, quod poeta tritissimis illis exemplis uti noluit, quibus omnium scriptorum libri erant referti, id non vituperandum, sed fortasse laudandum est.

Satis mihi multa verba fecisse videor, cur nimius usus doctrinae non satis causae esse possit, cur Panegyricum ab alio poeta atque a Tibullo scriptum esse suspicemur; sequitur, ut de rerum expositione et dispositione dicam.

Ac Bachio quidem, qui multus est in accusando poeta, primum illud displicet, quod panegyrista secum ipse dissentiat. Nam versu 18 eum praedicare:

Alter dicat opus magni mirabile mundi,

nihilo minus eum paullo infra prolixius terrae zonas describere. At poeta negavit se, sicut Lucretium, mundum versibus esse celebraturum, non dixit in Messalla laudando non se esse mundi mentionem facturum. Sed multo etiam maiorem Bachius censet inter Tibullum et panegyrici scriptorem intercedere dissensionem. Panegyristam enim versibus 17. 192. 204 polliceri in laude Messallae se esse remansurum; sed ab his rebus studia Tibulli longe fuisse aliena: vanam igitur illam esse iactationem. At tota septima libri primi elegia in Messallae honorem scripta est itemque in prima, tertia, quinta, aliis elegiis eius nomen commemoratur. Quod autem in Panegyrico poeta animi ardore abreptus promisit, id aetate provectus et in Messallae amicitiam receptus perficere nec

voluit nec potuit. — Item Bachius dicit 'panegyristam nihil cupidius quam principatum inter ceteros Messallae laudatores et apud posteros famam appetere[1]); sed Tibullum nullum fere aliud in pangendis carminibus consilium respexisse videri, nisi ut interiora animi sensa et vota exprimeret atque ad amicam aditum sibi pararet, id quod libri secundi elegia quarta declaretur':

Ad dominam faciles aditus per carmina quaero.
Ite procul, Musae, si nihil ista valent.

Verum haec et his similia ad quaestionem de carminis scriptore solvendam omnino non pertinent. Nam si optat et sperat poeta fore ut propter Messallae gloriam, quam versibus persecutus est, suum ipsius nomen memoriae mandetur, nihil in hac re vituperandum est. Mirum vero est, quod Bachius Tibullum dicit in carminibus nihil aliud spectasse nisi ut facilem sibi ad amicam aditum pararet. Quid est enim quod sibi velint carmina illa de Sulpiciae et Corinthi amore? Quid elegiae illae, in quibus aut puellae mentio facta non est, aut poeta iam fruitur puellae amore? Atque si Tibullus in elegiis de immortalitate, quam adeptum se esse speret, non loquitur, id inde factum esse videtur, quod unum quodque carmen certa occasione oblata compositum est inque certis personis temporibusque versatur, quodque res quas tractat non fictae sunt, ut Gruppius[2]) opinatus est, sed factae sunt et gestae, ita ut in ipsis carminibus scribendis de immortalitatis gloria cogitare non posset.

Sed illud suo iure viri docti mirati sunt, quod sub finem carminis poeta versibus 206—211 de se iactat. Nam fieri posse negat Hertzbergius, ut is, qui se affirmet etiam post mortem sive in equum sive in bovem sive in avem mutatum tamen, iterum hominem factum, ad Messallae laudem se collaturum esse, elegias quales sunt Tibullianae componat. Sed cum poeta eum sensum explicare vellet, se non vivum modo, sed etiam mortuum Messallae memorem fore, nescio an a Pythagoreorum disciplina imaginem sumpserit, sive

[1]) Paneg. v. 26 sqq. 16 sqq. 37 sqq. 178—183.
[2]) Eleg. Rom. I p. 261 sqq.

illi philosophiae addictus, sive doctrinam ostentaturus. Neque hoc quidquam habet offensionis. Nam illo tempore Romae Isidis et Osiridis sacra florebant, ut etiam ab hoc cultu, cuius religiones Tibullo[1]) notae erant, totam rem petere posset. Nec taedere veteres constat ad hominum imaginem exprimendam conferre similitudinem bestiarum. Exempli causa Horatius[2]) de Augusto palpandi et recalcitrandi vocibus usus est, quae de equis proprie dicuntur. Atque ut sit illud ineptum, quid est cur Tibullum adulescentulum recto iudicio etiamtum carentem hoc vitium admisisse negemus? Nam quod postea non fecit, id paene puer delinquere poterat. Sed longum est omnia enumerare atque examinare, quae Bachius aliique de singulis Panegyrici partibus locisque partim iniuria partim suo iure vituperant: quibus rebus omnibus nihil efficitur, nisi ut intellegamus Panegyricum et rebus et arte elegiis Tibulli multo esse inferiorem, id quod ipsi neutiquam negavimus. Quare haec omnia iam mittimus et ad ipsam orationem, qualis sit in Panegyrico, transimus.

Atque Hertzbergius[3]) quidem singula non persequitur, quamquam id ipsum Gruppio obicit; omnibus enim partibus dicit luce esse clarius eum, qui Panegyricum scripserit, et moribus et ingenio et doctrinae cultu prorsus diversum esse a Tibullo. Et ipsam orationis conformationem ita a Tibulli consuetudine dicendi abhorrere, ut singula respicere supervacaneum sit. Tales enim enuntiationes, quales in Panegyrici versibus 18—27. 28—38. 39—49. 65—78. 82—105 contineantur quaeque denos vel plures versus complectantur, apud Tibullum nusquam reperiri. Nescio equidem quam editionem librorum Tibullianorum Hertzbergius in manibus habuerit. Sed apud Luc. Muellerum summo iure post v. 36, post versum 44, post v. 69 et 75, post v. 88 et 90 et 97 maioris interpunctionis nota posita est, ita ut Hertzbergius oculorum credo errore orationis inconcinnitatem paullulum auxisse

[1]) Tib. I, 3, 23 sqq. I, 7, 27 sqq.
[2]) Sat. II, 1, 20.
[3]) Ann. Hal. l. s. §.

videatur. Sed praeterea hac in re considerandum est, aliud esse metro heroico, aliud elegiaco carmen componere. Nam cum epicorum versuum consociatio propius accedat ad orationem pedestrem nec certi enuntiationum termini metro heroico sint constituti, in distichis pangendis hanc legem secuti sunt poetae, ut singulis distichis singulae enuntiationes aut certe singulae partes enuntiatorum coercerentur. Nihilo setius hanc legem Tibullus migravit. Alia ut omittam, felici casu factum est, ut una elegia in manibus sit, quintam dico libri secundi, quam, ut omnibus assentientibus Gruppius[1]) primus demonstravit, imperfectam Tibullus reliquit. Quo carmine dilucide perspicitur Tibullum non ingenio potius, ut plurimi volunt, quam arte et studio acerrimo in contexendis versibus elaborasse. Atque in hac elegia unum enuntiatum sedecim versus[2]) complet, quod exemplum Hertzbergium neglexisse miror. Quare si in memoriam revocamus, quam diversae sint epici et elegiaci carminis in versibus condendis condiciones, addimusque in ipsis elegiis illius componendi generis exemplum reperiri, illo Hertzbergii argumento, quo nonnullas in Panegyrico enuntiationes nimis distractas esse nimisque inconcinnas quam quae Tibullo dignae sint, probare studet, nihil probari consentaneum est.

Eodem de genere sunt, quae Bachius, Wiesius, Franc. Teufelius ad sententiam suam comprobandam congesserunt. Et Bachius[3]) quidem ad Panegyrici v. 28 adnotat 'τὸ *nam* ibi mire frigere et saepius redire': v. 35. 45. 54. 107. 121. 151. 183. At hoc ipsum 'nam' in duodequinquaginta distichis elegiae secundae libri primi ter positum est, nec video quid tandem in eo offensionis sit. Nec quicquam momenti habet coniunctionum copia, quam Wiesius[4]) vituperat in versibus 25. 26. 94—96. 138 sqq. 159 sqq. 205 sqq., propterea quod poetam, cum nondum idoneum usum haberet nec ingenii vires esset periclitatus, ipsi operi imparem verborum electioni et orationis conformationi nondum satis facere potuisse veri

[1]) Eleg. Rom. I p. 82.
[2]) Tib. II, 5, 67—82.
[3]) Epist. crit. p. 35.
[4]) l. s. s. p. 71.

simile est. Atque in secundae libri quarti elegiae versibus 8—12 'seu' quater legitur. Simili modo factum est, ut poeta etiam 'ergo' particula magis orationi solutae quam poetico numero et colori conveniente uteretur, quod Franc. Teufelius[1]) vidit, Guil. Teuffelius[2]) praeteriit. Quod autem Tibullus in elegiis 'quamvis', panegyrista 'quamquam' particula versibus 1 et 28 usus est, casu accidisse neque plus valere videtur, ac si nos modo 'obschon' dicimus, modo 'obgleich'.

Similiter de hoc genere universo iudicandum est, quoniam veri dissimillimum est Tibullum, vix rhetorum scholas egressum, iam adulescentulum tam severas sibi dicendi ac verborum eligendorum leges praescripsisse tamque certam rationem secutum esse, ut iuvenis factus non quaedam verba, quibus in primo carmine usus erat, postea reiceret. Quod si in aliqua elegia accidisset, summo iure, sicut in tertii libri carminibus a viris doctis factum est, id carmen Tibulli esse negaremus; sed in Panegyrico aestimando haec argumenta fere pro nihilo ducenda sunt.

Sed de orationis condicione, quae propria est Panegyrici, haec hactenus.

Quoniam autem de eorum opinione diximus, qui Panegyricum post annum 723 scriptum esse putant, eaque explicavimus quae ad infringendas eorum sententias, qui carmen a Tibullo abiudicant, in promptu habuimus, nunc ea afferemus, quibus commoti ab ipso Tibullo carmen scriptum esse arbitremur.

Mitto, quod Tibulli nomine inscriptus Panegyricus ad hanc aetatem perlatus est. Nam cum iam diu inveteraverit sententia Haasii[3]), qui carmina illa, quae Tibulli nomine inscribantur, Messalla fautore collecta atque edita esse suspicatus est, hoc quidem argumento apud viros doctos haud multum profecerim. Illud quidem constat, Tibullum non ipsum carmina sua omnia

---

[1]) De Catulli, Tibulli, Propertii vocibus singularibus dissert. ed. Friburgi a. 1872 p. 43.

[2]) Stud. ad hist. litt. spect. p. 378.

[3]) Annal. crit. Berol. a. 1837 p. 34.

edidisse, propterea quod non est veri simile carmen tam imperfectum, quale est elegia libri secundi quinta, poeta ipso auctore in publicum prodiisse. Quare equidem, si certum editoris nomen afferendum est, Lygdamum illum suspicor hoc negotium suscepisse. Hic autem, ut puto, etiam Sulpiciae elegias[1]), sive errore sive consulto, ut quasi pro argumento essent Tibullianorum carminum Sulpiciae amorem spectantium, inter veras Tibulli elegias recepit, sua autem ipsius carmina una cum Tibullianis edidit: quae causa fuit cur ea, quia proxime ad Tibullianorum carminum similitudinem accedunt, ipsis illius poetae elegiis adnumerarentur. Sed cum non ignorem, quantilla eius sit vis coniecturae, ad sententiam meam comprobandam ea non utor. Omitto etiam panegyristam turbulentissimis anni 713 tempestatibus in easdem angustias[2]) redactum esse, in quibus Tibullus[3]) versatus esse videtur: non quo Paldami[4]) opinione commotus hac de re dubitem, sed quod multos eius aetatis homines in eandem calamitatem incidisse constat. Illud dico: eas inter Tibullum atque eum, qui Panegyricum composuit, et sententiarum et verborum et versuum intercedere similitudines, ut omnibus fere numeris Panegyricus certa quaedam Tibulliani ingenii indolisque vestigia prae se ferat.

Constat quidem Tibullum vitam rusticam adeo adamasse, ut in omnibus fere elegiis ruris amoenitates depingeret. Idem factum est in Panegyrici versibus 161—174 et 183—187. Atque notabile est, quanta inter hos Panegyrici versus atque eas decimae et septimae elegiae libri primi partes, quibus vita rustica describitur, similitudo sit. Nec puto hoc casu accidisse; nam ut paullo infra demonstrabimus, decima elegia et septima illa primae esse videntur quas Tibullus scripsit. Aptissime autem conferri possunt ea, quae in Panegyrici versibus 107—110 de nationibus a Messalla victis dicta sunt, cum eis quae in elegia illa septima inde a versu nono de Messallae victoria Tibullus disserit.

---

[1]) Tib. IV, 7—12.
[2]) Paneg. 183—189.
[3]) Tib. I, 1, 19. 21. 41.
[4]) Erot. Rom. p. 51 et 56.

Denique haec elegia artissimo vinculo cum Panegyrico coniuncta est; utrumque enim carmen ita populorum nominibus refertum est atque ita in terris describendis versatur, ut poetam miro quodam amore rerum geographicarum studiis deditum fuisse iudicandum sit. Huc etiam referenda est zonarum descriptio, quam nonnulli ut vanam et a re alienam vituperaverunt. Illud quoque aliquid momenti habet, quod eodem in Octavianum animo Tibullus est atque Panegyrici scriptor, ita ut panegyrista adeo eius mentionem non faciat, ut ipsa illa, quae pro eo in bello contra Sex. Pompeium gesto Messalla praeclara perfecit, in huius laudatione silentio praeterire malit quam nominare tyrannum. Itemque Tibullus in elegiis Augusti nusquam mentionem facit.

Iam vero, quanta propter verborum usum Panegyricus et Tibulli carmina similitudine contineantur, exempla demonstrent. Atque ea maxime verba elegi, quae aliquanto remotiora sunt ab usu communi dicendique consuetudine, quo facilius appareat non casu ortam esse illam similitudinem, sed unum poetam et in Panegyrico et in elegiis eisdem fere verbis esse usum. Quo de genere est

Pan. v. 18: Alter dicat opus magni mirabile mundi,

ubi 'alter' pronomine pro 'alius' poeta utitur; idem admisit Tibullus

I, 9, 79: Tum flebis, cum me vinctum puer alter habebit.

In Pan. v. 29: Non tua maiorum contentast gloria fama

'tua gloria' idem fere significat atque 'tu'. Rara est haec figura apud Tibullum; attamen adhibita est exempli causa

I, 2, 11: Et mala si qua tibi dixit dementia nostra.

In Pan. v. 50: Vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem
Saecula fertilibus Titan decurreret horis

poeta scripsit 'orbem' caeli loco; Tibullus habet

I, 2, 50: aestivo convocat orbe nives.

In Pan. v. 82: Iam te non alius belli tenet aptius artes

tenendi verbum positum est pro verbo sciendi, ut apud Tibullum I, 2, 51:

Sola tenere malas Medeae dicitur herbas.

Similiter in Pan. v. 190: Sed licet asperiora cadant spoliisque relictis

cadendi verbum idem significat atque accidendi, quod item Tibullus habet I, 6, 85: Haec aliis maledicta cadant.

In Pan. v. 172: Tondeturque seges maturos annua partus 'annuus' adiectivum locum obtinet adverbii 'quotannis'; eodem modo Tibullus dixit

II, 1, 48: Deponit flavas annua terra comas.

In Pan. v. 111: Quem si quis videat vetus ut non fregerit aetas

'vetus aetas' cum abundantia quadam dictum est pro simplici voce aetatis; simili cum copia scriptum est a Tibullo I, 8, 50: In veteres esto dura puella senes.

Iam vero quaedam sunt verba in Panegyrico, quibus ipsum Tibullum maximeque in eis elegiis quas primas eum fecisse veri simile est, magnopere delectatum esse credam. Exempli causa adfero 'aptus' vocem, qua Lygdamus ille non est usus; eadem legitur in tribus versibus Panegyrici[1]), in Tibulli libro primo quater[2]). Itemque 'ubi', quod Lygdamus non habet, in Panegyrici versu 175 exstat, apud Tibullum septies[3]) positum est. Quae vero panegyrista versibus 140 sqq. et Tibullus I, 7, 11 sqq. de fluminibus quibusdam memorant, ita inter se similia sunt, ut in Panegyrici versu 140 elegiaeque illius versu 12 eadem prorsus sit non adeo usitata verborum constructio. Verum mitto haec leviora.

Operae autem pretium est animadvertere, quinam sit copulativae 'et' particulae in Tibulli elegiis et in Panegyrico usus. Nam cum in oratione pedestri 'et' primum enuntiati locum obtineat, quidam poetae eam post primum, post secundum, aliquot locis etiam post tertium enuntiati verbum posuerunt. Atque in vetustissimorum poetarum scriptis haec particulae collocatio nondum reperitur; Catullus et Cicero in carminibus consulto ea abstinuisse videntur, quamquam sub illud tempus iam increbrescere coeperat[4]): nam et Ver-

---

[1]) Pan. 62. 63. 82.

[2]) Tib. I, 4, 54. 7, 44. 60. 9, 70.

[3]) Tib. I, 4, 31. 6, 45. II, 3, 27 (bis). 4, 17. 57. 6, 49.

[4]) Cf. Hauptii Observationes criticas p. 33 sqq.

gilius in eclogis[1]) et Horatius in epodis[2]) atque saturis[3]) 'et' primo enuntiati verbo postposuerunt. Sed notabile est Horatium in carminibus[4]) minus saepe, in epistulis[5]) perraro, in arte poetica nusquam id commisisse. Propertius saepissime, Ovidius in metamorphoseon libris, si quosdam versus suspectos exceperis, nusquam, item panegyrici in Pisonem scriptor, cui Heynius ut vidimus iniuria etiam Messallae laudationem attribuit, nusquam illa 'et' particulae collocatione usus est. Contra in panegyrico in Messallam septies[6]) (si Luc. Muellerum sequimur), in Tibulli elegiis iterum atque iterum[7]) 'et' primum enuntiati verbum subsequitur, ut hac ipsa re satis declaretur, quam similia inter se sint Tibulli et panegyristae genera dicendi.

Nec minus hoc anaphorae, quam grammatici dicunt, usu comprobatur, quam figuram Tibullus in elegiis sexcenties adhibuit; item in Panegyrico undecim exempla[8]) extant.

Sed haec de orationis conformatione hactenus; iam videamus, quae sit condicio versuum pangendorum.

Atque artis metricae easdem fere leges sequitur Tibullus et panegyrista, ita ut Luc. Muellerus huic illum ducem et magistrum fuisse existimet. Iam supra diximus, quam mirum sit credere scriptorem quempiam elegiaci poetae exemplum sibi proposuisse, sed epicum carmen conditurum neque res neque verba neque metrum imitatum esse atque nihil nisi hexametri pangendi leges esse secutum. Huc accedit quod eo ipso tempore, quo Panegyricus scriptus est, i. e. anno 723, Tibulli elegiae nondum prodierant, quarum prima, ut infra ostendemus, non ante annum 725 vel 726 facta est. Unde, si hanc versuum Panegyrici et Tibulli ele-

---

[1]) Verg. Ecl. 1, 34. 68. 2, 10. 3, 89. 4, 54. 7, 60. 8, 54. 10, 19.

[2]) Epod. 10, 18. 11, 8. 16, 2. 32. 45. 17, 2. 3.

[3]) Sat. I, 3, 54. 63. 5, 58. 6, 11. 8, 30. 9, 25. 10, 71 cet.

[4]) Carm. I, 2, 9. 17. 29, 14. II, 8, 14. III, 4, 71 cet.

[5]) Epist. I, 6, 34. II, 2, 33.

[6]) v. 20. 22. 56. 58. 78. 88. 168.

[7]) I, 10, 30. 44. 58. 68. 7, 12. 15. 21. 38. 39. 54 cet.

[8]) 19—29. 36. 62—63. 74—75. 76—77. 108—110. 138—140. 149—150. 184 et 186. 193 et 195. 198—199.

giarum societatem imitatione natam esse statuimus, efficitur, ut aut panegyrista post annum 723 et post elegias Tibulli scripsisse videatur, aut Tibullus Panegyrici metrorum rationem in elegiis sit secutus, quod utrumque ineptum est. Ergo, si Panegyricus anno 723 scriptus est, versuum autem condicio eadem est atque in elegiis, relinquitur, ut illa similitudo aut casu orta aut inde ducenda sit, quod et Panegyricus et Tibulli elegiae ab uno eodemque poeta factae sint.

Quodsi singula perlustraveris, invenies hoc esse Tibulli et panegyristae proprium, ut in quinta versus sede spondeum non admittant, ut in sede sexta vocabulum monosyllabum non habeant, ut a caesura bucolica abstineant, ut trochaicam, nisi ea etiam alia incisione sustentata sit, non admittant, ut apud utrumque voces iambicae, dactylicae, creticae, quae in 'm' exeunt, non elidantur, quaeque sunt similia. Caesurarum autem quae reperiuntur haec est ratio. Inter 211 versus Panegyrici in 175 caesura penthemimeres, in 20 caesura trochaica cum trithemimeri et hephthemimeri coniuncta, in 3 trochaica cum sola hephthemimeri, in 3 penthemimeres cum hephthemimere, in 8 trithemimeres cum hephthemimeri, in 1 trochaica cum hephthemimeri et cum incisione post alterum trochaeum, in 1 sola hephthemimeres versui adhibita est.

Inter 211 autem versus libri primi Tibulli elegiarum X. VII. IV. IX. VIII. I v. 1—43 in 166 versibus trithemimeres, in 34 caesura trochaica cum hephthemimeri et trithemimeri coniuncta, in 2 trochaica cum sola hephthemimeri, in 6 penthemimeres cum hephthemimeri, in 3 trithemimeres cum hephthemimeri locum obtinent.

Caesura trochaica cum hephthemimeri et cum incisione post alterum trochaeum in hexametris earum elegiarum, quas tractavimus, non est admissa, sed exstat in libri primi elegiae secundae versu 63.

Vides caesurarum instituendarum in Panegyrico et in elegiis quas comparavimus eandem fere esse condicionem, nisi quod caesura trochaica cum trithemimeri et hephthemimeri sociata paullo saepius in elegiis adhibita est, id quod vividiore elegiarum numero et indole excusatur.

Reliquus est unus v. 168 Panegyrici, qui solam hephthemimerim habet; sed in hoc versu propter iteratam 'alter' vocem panegyrista legem neglexisse videtur.

Quod autem Panegyrici scriptor sexies[1]) in quinto versus pede voce pyrrichiaca usus est praecedente verbo spondiaco sive anapaestico, Tibullus in omnibus elegiis quinquies[2]), casu factum esse videtur; nam cum uterque poeta migraverit legem illam linguae latinae, quae in fine hexametri proprium verborum sonum et accentum laedi vetat, numero exemplorum nihil aliud comprobatur, nisi adulescentulum Tibullum in versuum faciendorum legibus servandis paullo neglegentiorem fuisse quam iuvenem factum.

Elisionum autem exempla, quae in Panegyrico 26 exstant[3]), in postremis Tibulli elegiis rarius reperiuntur, in primis saepius, sicut in libri primi elegia decima septem, in elegia septima undecim, in quarta decem[4]).

Unus Panegyrici versus 59 quinque syllabarum vocabulo terminatur, quam versus formam Tibullus non habet; sed nihil in hac re vitii inest, praesertim cum illud vocabulum sit nomen proprium.

Vides panegyristam et Tibullum ad eandem normam versuum faciendorum rationem suam direxisse. Qua in re si Panegyrici scriptor pauca sibi indulsit, quae Tibullus iuvenis factus evitabat, illud tenendum est, Tibullum non minus, quam ingenii subtilitatem elegantiamque, etiam laborem et studium, ut omnes fere eius aetatis poetas, ad carminum condendorum artem contulisse atque ita in tractanda arte perseverasse, ut, quae ineunte aetate deliquisset, postea non commiserit.

Ac de rebus, de verbis, de versibus, quibus utitur panegyrista, diximus: quae omnia a Tibulliana scribendi consuetudine adeo non abhorrent, ut carmen ei, cuius nomine nobis traditum est, attribuere iam nequaquam dubitem.

---

[1]) Pan. v. 28. 107. 108. 168. 194. 205.

[2]) Tibull. I, 6, 1. 63. II, 4, 45. 59. 5, 111.

[3]) Cf. p. 55.

[4]) Tib. I, 10, 4. 7. 14. 17. 23. 26. 64. 7, 3. 9. 12. 17. 36. 50. 52. 54. 58. 59. 61. I, 4, 4. 31. 32. 37. 44. 48. 56. 63. 75. 76.

Quamquam igitur non ignoro, quam multa sint in Panegyrico rudia et incohata Tibulloque qualem se praebet in elegiis indigna, tamen haec vitia non ea esse existimo, ut carmen Tibullo eripiamus necesse sit, quippe quae omnia iuvenili poetae aetate excusentur.

Verum haec Hertzbergio[1]) non placuerunt. Artem enim versuum pangendorum et rerum digerendarum rationem dicit studio et diligentia comparari discique posse, sed ingenium et animi magnitudinem, si non innata sint et a natura data, neminem posse induere. Quae quam per se recte se habeant, nemo non intellegit; sed videndum, ne panegyristae iniuriam faciamus.

Ac de illiberalitate et humilitate, quam Hertzbergius Panegyrici scriptori obicit, iam antea[2]) diximus: cuius vestigia si velimus etiam in Tibulli elegiis indagare, multa et gravia inventuri simus. Nam si ad summam normam hominum officia referre maximeque nostram sentiendi et iudicandi rationem et consuetudinem antiquitatis fuisse statueremus, nonne summae esset turpitudinis, quod Tibullus nuptae Deliae insidias parat? Quantae humilitatis est non saeva verbera, non pedum vincula recusare[3]), ut puellae amore poeta fruatur? Quantis sordibus refertae sunt libri primi elegiae quarta, nona, octava. Quibus rebus omnibus profecto non animi illa proditur magnitudo, quam Hertzbergius in Panegyrico desiderat, sed improbitas poetae conspiceretur et humilitas, si res ad nostras rationes revocaremus. Nec equidem, si de meo sensu iudicare mihi licet, omnibus locis in Tibullianis elegiis illa ingenii, quod Hertzbergius in caelum effert, vestigia reperire potui, nisi forte, quae in libri primi elegia septima de Gallia et de Osiri, in elegia quarta eiusdem libri de Priapo poeta disserit, ingeniose dicta sunt. Inprimis vero illud tenendum est, aliud esse carmen epicum, aliud carmina scribere amatoria. Videmus enim adulescentulos puellae amore primum affectos carmina condere eximiae dulcedinis eaque et rerum tractatione et orationis conformatione paene omnibus numeris

[1]) Annal. antiquit. stud. a. 1854 n. 45.
[2]) p. 57 sqq.
[3]) Tib. I, 6, 37 sq.

perfecta, cum eidem epici carminis labori, ubi res non animi ardore, sed ingenii acumine finguntur, prorsus sint impares. Atque ille animi fervor et impetus proprius est Tibulli.

Quodsi ad animi altitudinem artis et doctrinae studia accesserint, quid censes, qualem illum et quantum rerum amatoriarum poetam futurum fuisse? Quare mihi Tibullus non magis ingenii magnitudine quam animi ubertate, coniuncta cum quadam elegantia et venustate dicendi, eam laudem sibi videtur peperisse, quam inter aequales consecutus est et hac etiam aetate obtinet. Sed ad epicum genus ingenii requiritur quaedam magnitudo, qua tenerior Tibulli animus caret. Quae cum ita sint, poeta epicum stilum et sonum non, sicut Vossio[1]) placuit, noluisse, sed non potuisse consequi videtur. Huc si addideris non libera Tibulli voluntate, sed calamitate imminente Panegyricum esse conscriptum eoque tempore compositum, quo Tibullus adulescentulus illa iudicandi et existimandi subtilitate, quam postea adeptus est, etiam carebat, non nimis audax esse videbor, si Paldami, Hertzbergii, aliorum auctoritate neglecta vitia carminis excusanda et Tibullo Panegyricum tribuendum esse censuero.

Postquam autem ea explicavimus, quibus adducti Tibullo Panegyricum tribuamus, reliquum est ut de tempore dicamus, quo primae poetae elegiae in publicum prodiisse videantur. Nam cum plurimi viri docti optimas Tibulli elegias maximeque eas, quae Deliae missae sunt, ad eundem annum referant, quo nos Panegyricum scriptum esse contendimus, suo iure quaerat quispiam, quomodo fieri potuerit, ut eodem fere tempore poeta ieiunum in Messallam carmen et pulcherrimas illas elegias quasi uno tenore composuerit.

Sed prius quam ad rem ipsam aggrediar, pauca mihi proponenda sunt de tempore, quo Tibullum natum esse existimem. Atqui nihil certi de anno, quo natus sit poeta, constat. Uno Domitii Marsi epigrammate:

Te quoque Vergilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors iuvenem campos misit ad Elysios,

---

[1]) in translatione germ. Tib. carm. praef. p. XXIII.

accepimus poetam iuvenili aetate mortuum esse sub idem fere tempus atque Vergilium, anno igitur exeunte 735 vel ineunte 736. Qua ex re prorsus praepostere Haasius[1]) conclusit eum natum esse anno 685. Sed cum Vergilius natus esset anno 684, Domitio vix dicere licebat Tibullum, uno anno quam illum minorem, diem obiisse supremum iuvenem; nisi forte, qui quinquaginta annos natus est, iuvenis appellari potest.

A proposito autem alienum est omnia enumerare, quae viri docti hac de re protulerunt; itaque breviter rem attingam. Atque Io. Henr. Vossius[2]) circa annum 695, Ayrmannus[3]) sub annum 705, plerique intra eos annos Tibullum natum esse dixerunt. Apud Ovidium[4]) enim haec leguntur:

Vergilium vidi tantum, nec avara Tibullo
Tempus amicitiae fata dedere meae.
Successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi;
Quartus ab his serie temporis ipse fui.

Unde colligi potest Tibullum post Gallum et ante Ovidium — nam quo anno natus sit Propertius, non constat — id est intra annos 685 et 711 esse natum. Paullo artius hoc temporis spatium videtur circumscribi posse, si consideraverimus quanta sollicitudine quantaque trepidatione, non viri spectatae virtutis, sed adulescentuli animo digna, plenum sit libri primi Tibullianarum elegiarum carmen decimum. Haec autem elegia ad bellum Aquitanicum, quod, ut demonstrabimus, annis 725 et 726 gestum est, omnium fere consensu refertur. Quare proxime ad veritatem accedere videbimur, si natum Tibullum esse statuerimus intra annos 700—705.

Sed ut ad propositum revertar, illud constat, Panegyricum scriptum esse anno 723. Iam videamus, quid de primarum Tibulli elegiarum temporibus viri docti proposuerint.

Atque omnes, qui in hac quaestione versati sunt, libri primi elegiam septimam anno 727 compositam esse consentiunt. Celebrat enim poeta hoc carmine Messallae triumphum,

---

[1]) Annal. crit. Berol. a. 1837 p. 37.
[2]) l. s. s. praef. p. VII.
[3]) Albii Tibulli equitis Romani vita, ed. Viteb. a. 1719.
[4]) Trist. IV, 10, 50 sqq.

qui eo anno[1]) actus est. Hanc autem elegiam si accuratius perlustraveris, artissimo eam vinculo intelleges cohaerere cum Panegyrico. Etenim et repetitionibus cum verborum tum sententiarum refertissima est[2]) et terrarum describendarum ratione usuque fabularum ad Panegyricum prope accedit. Nihilo minus Passovius[3]) et Kindscherus[4]), ne eorum mentionem faciam qui fere ad unum omnes in editionibus Tibullianorum carminum eandem sententiam amplexi sunt, libri primi elegias omnes ante annum 727 confectas esse opinati sunt. Sed hic cum omnia fluctuent temporumque rationes non certis quibusdam argumentis, sed difficili computatione describendae sint, maxime illud in memoriam revocemus oportet, poetas scriptoresque omnes ab imperfectis ad perfecta, a parvis ad maiora gradatim ac pedetentim escendere atque progredi: cuius rei in Tibullianis elegiis ordinandis praeter Gruppium[5]) et Teuffelium[6]) fere nemo rationem habuit. Quod vero Kindscherus illam elegiae septimae condicionem eo excusare studet, quod Tibullo fortasse otium defuerit omnibus viribus omnique studio in hanc elegiam condendam incumbendi, id mihi quidem ad explanandam rei difficultatem parum sufficere videtur. Nam qui carmina tantae praestantiae, quantae sunt elegiae in Deliam, componere potuit, eum, si Tibulliano ingenio frueretur, puto, si vel paucorum dierum intervallum ei esset relictum, meliora potuisse conscribere. Sed Kindscherus cum Panegyricum, qui in his rebus diiudicandis summi momenti est, omnino in commentatione silentio praetereat, nihil ei inde dubitationis subnasci potuit. Verum iam ad reliqua veniamus.

Totam autem Kindscherus temporum discriptionem, cui carmina Tibulliana subiecit, partim ad pugnam Actiacam anni 723 mense Septembri commissam refert, partim ab eo

---

[1]) Fasti triumphales: 'M. Valerius M. f. M. n. Messalla Corvinus procos. ex Gallia VII. K. Oct. a. DCCXXVI' (= 727 Varr.).

[2]) Vide v. 12 et 14. 30, 38, 46. 40, 43. 44, 48.

[3]) Opusc. acad. p. 280 sqq.

[4]) Diar. gymn. Berol. a Muetzellio edit. vol. XIII p. 289—301.

[5]) De elegia Romana I.

[6]) Stud. de hist. litt. Rom. p. 344—386.

anno, quo bellum Aquitanicum gestum esse arbitratur, petiit.

Ac primum quidem nullis argumentis confirmari potest Tibullum in bello inter Octavianum et Antonium commisso stipendia meruisse: quo efficitur, ut haec res argumentationem Kindscheri nihil adiuvet. Quod vero vir doctus de bello Aquitanico disserit, satis mirum est. Appianus[1]) enim, qui solus bellum illud commemorat, haec habet: ὁ δὲ (Octavianus) αὐτὸν (Messallam) ὕπατόν τε ἀπέφηνεν ἀντὶ αὐτοῦ Ἀντωνίου, ἀποχειροτονηθέντος ὅτε αὖθις ἐψηφίζετο εἶναι πολέμιος, καὶ περὶ Ἄκτιον ναυαρχήσαντα κατὰ τοῦ Ἀντωνίου στρατηγὸν ἔπεμψεν ἐπὶ Κελτοὺς ἀφισταμένους, καὶ νικήσαντι ἔδωκε θριαμβεῦσαι. Vides eum paucis adumbrare, quae Messalla magna ediderit; haec vero non in continua rerum gestarum enarratione afferuntur, sed in indice proscriptorum qui servati sunt. Atque ex his quidem verbis, si non falsis opinionibus quibusdam perductus, sed tuo iudicio usus ad ea accesseris, luce clarius est nihil aliud colligi posse, nisi bellum Aquitanicum post pugnam Actiacam a Messalla susceptum esse et, ut manifestum est, ante triumphum confectum. Exstant autem nonnulla apud Cassium Dionem[2]), quibus Drumannus[3]) ad tempus belli Aquitanici definiendum usus est. Haec enim ille habet: ὁ δ' ὅμιλος τῶν Ἀντωνείων στρατιωτῶν ἐς τὰ τοῦ Καίσαρος στρατόπεδα κατετάχθη, καὶ ἔπειτα τοὺς μὲν πολίτας τοὺς ἔξω τῆς ἡλικίας ἀπ' ἀμφοτέρων, μηδὲν μηδενὶ δούς, ἐς τὴν Ἰταλίαν ἀπέπεμψε, τοὺς δὲ δὴ λοιποὺς διέσπειρεν· ἐπειδὴ γὰρ ἐν τῇ Σικελίᾳ φοβεροὶ οἱ μετὰ τὴν νίκην ἐγένοντο, ἔδεισε μὴ καὶ αὖθις θορυβήσωσι, καὶ διὰ τοῦτ' ἔσπευσε, πρὶν καὶ ὁτιοῦν ὑποκινηθῆναι, τοὺς μὲν παντελῶς ἐκ τῶν ὅπλων ἀπελάσαι, τῶν δὲ τὸ πλῆθος διασπάσαι. Quibus si diligentius animum intenderis, invenies non de universo exercitu esse sermonem, quem Octavianus seditionis timore commotus in provincias dimiserit, sed de eis tantum militibus, qui illo tempore stipendia emeruerant, quorum alii cives erant, alii

---

[1]) Appian. b. c. IV, 38.
[2]) Cassius Dio LI, 3.
[3]) Hist. Rom. t. I p. 485.

peregrini. Nusquam Cassius Dio commemorat exercitus post pugnam Actiacam dispersos rursus ab Octaviano esse collectos. Contra Messalla initio anni 724 in Asia versatur[1]), ut gentes civitatesque, quae Antonio addictae fuerunt, in Octaviani potestatem redigat. Qua de re agens Cassius Dio voce utitur ὕστερον, quam miro errore Kindscherus cum bello Aquitanico commiscet. Agitur enim non de bello Aquitanico nec de ipso Messallae in Asiam itinere, sed de gladiatoribus quibusdam, qui Antonio opem laturi a Didio Syriae proconsule domicilia acceperant, sed ὕστερον, id est postea, Octaviano iubente Antiochiae a Messalla occisi sunt.

Sed ut opinio me fefellerit, tamen non video, cur Messalla, si annis 723 et 724 Aquitanos profligasset, non anno 725 bello civili finito triumphaverit, sed post C. Carrinatem, qui anno 725 cum Gallis Germanisque debellaverat[2]) ac triumphum egerat anno 726, virtutis honores et praemia sit adeptus. Constat autem inter omnes, consules, cum magistratum abdicavissent, per biennium in provincia, quam quisque esset sortitus, versatos esse. Quod cum Messallae propter bellum cum Antonio gerendum non contigisset, veri simile est eum, ex Asia cum Octaviano reversum, ab illo Galliam Narbonensem cum Aquitania provinciam accepisse, cum in Belgica provincia administranda Nonius Gallus C. Carrinatem inde decedentem anno 725 exciperet[3]). Accepimus enim totam Galliam ab Iulio Caesare anno fere 709 in duas partes esse divisam: quam divisionem Octavianus, etsi anno 715 Agrippae totam Galliam commiserat, tamen ante annum 727 non videtur sustulisse[4]). Messalla igitur Narbonensem cum Aquitania obtinuisse ibique annis 725 vel 726 Aquitanis rebellantibus arma intulisse videtur. Quae mea sententia non eo infringitur, quod annis 725 et 726 Iani templum clausum fuit; nam auctor est Dio[5]) ne tum quidem bellorum intermissionem fuisse.

---

[1]) Dio LI, 7.
[2]) Dio LI, 21.
[3]) Dio XXI, 20.
[4]) Vide Zumptium Stud. Rom. p. 91.
[5]) Dio LI, 20.

Quae cum ita sint, cum bellum Aquitanicum non paucis illis mensibus inter pugnam Actiacam et Messallae in Asiam adventum interiectis, sed anno fere 726 gestum esse veri simile sit, primam illam rationem, quam secutus Kindscherus plurimas libri primi Tibulli elegias ordinavit, refellisse mihi videor.

Nec plus probabilitatis habet, quod ex comparatione Horatianorum cum Tibullianis carminibus elicere ille studet: quae res ita fluctuant atque adeo in utramque partem explicari possunt, ut eis eodem iure ad meam sententiam confirmandam uti mihi liceat.

In saturarum quidem libris Tibulli nondum mentio fit; sed exstat eius nomen in quarta epistularum libri primi ibique Tibullus appellatur 'sermonum candide iudex'. In quo fefellit Kindscherum, quod 'sermones' de solis saturis dictum esse putat. Nam cum Horatius carmina illa omnia, quae metro heroico scripsit, sermones esse velit[1]) cumque illud 'sermonum candide iudex' in ipsa epistula dicatur, maxime consentaneum esse videtur, ut Tibullum ab Horatio epistularum illo tempore componendarum, quo in genere amici iudicium existimatioque non potuit non plurimum valere, arbitrum ac iudicem adhibitum esse statuamus. Epistularum autem liber primus non ante annos 734 vel 735 in lucem prolatus est, ut, etam si forte ante illum annum Horatius in eo carminum genere elaboraverit, tamen vix ex anno 725 epistula quarta illa repeti posse videatur. Ac si revera Tibullus etiam saturarum iudex Horatio extitisset, tamen vel hac re nihil efficeretur, nisi ut illo iam tempore Tibullum cum Horatio coniunctum fuisse putaremus.

Quod autem Tibullum in epistula illa cum Cassio Parmensi poeta, qui 'fortasse' anno 724 occisus est cuiusque carmina 'fortasse' uno vel duobus annis post mortem scriptoris in publicum prodierunt, confert Horatius, non cum Propertio, qui primum librum elegiarum auctore Lachmanno anno 725 vergente vel certe ineunte 726 edidit, id nihil omnino ad rem pertinet. Nam cum Cassio Parmensi etiam multo post

---

[1]) Vide Epist. II, 1, 4. 250; art. poet. 69.

annum 725 Tibullus propter artis et carminum aliquam similitudinem conferri poterat; verum Propertii nomen nec apud Horatium nec apud Tibullum exstat, ut neuter cum illo amicitia fuisse coniunctus videatur.

Vides ex Horatii epistula illa ne tempus quidem constitui posse, quo primum Tibullus in Horatii amicitiam venerit. Sed, ut illud tempus certis quibusdam terminis circumscribi posset, quid esset quod inde consequeremur? Nihil nisi Tibullum per certum temporis spatium usum esse consuetudine Horatii; de ipsarum elegiarum tempore ex Horatii scriptis mihi quidem nihil posse colligi videtur.

Nihil igitur certi habemus de tempore Tibullianarum elegiarum, nisi septimam libri primi scriptam esse anno 727; quo tamen accedit, quod ea carmina, quae ad Deliam spectant, propter ipsarum condicionem ad annos 723 et 724 non esse referendas intelleximus.

Aliquid autem certi constitui potest de elegia decima libri primi, quamquam etiam de hoc carmine virorum doctorum sententiae vehementer inter se discrepant. Kindscherus enim, quique cum eo faciunt, anno 723, Gruppius[1]) 724, Teuffelius[2]) 729, alii aliis annis illam elegiam scriptam esse censent. Ac de pugna Actiaca cogitari non potest; Gruppii autem sententia eo refellitur, quod bellum Aquitanicum non annis 723—724, sed annis 725—726 gestum est. Verum Teuffelius eam elegiam non ad bellum Aquitanicum, sed ad iter quoddam refert, quod anno 729 Tibullus una cum Messalla suscepturus fuerit in Asiam, ubi fortasse bellum fuerit oriturum. At neminem qui bello interfuit et, velut Tibullus, militaribus praemiis iam donatus est, iter initurum, in quo fieri potest ut ipse iterum in belli pericula incidat, tale quid dicturum esse puto, quale in hac elegia questus est Tibullus: id quod ipsi nuper experti sumus. Nihil de eo dico, quod ipsum illud iter, itemque imminens illud belli periculum a Teuffelio fictum est; nam cum de Tibulli et Messallae vita nimis pauca sciamus, talis coniectura per se facile ferri potest. Sed omnia illa, quae in hac elegia proferuntur, non in militem

[1]) l. s. s. p. 259.
[2]) l. s. s. p. 359.

exploratae virtutis cadere mihi videntur. Pulcherrima illa poetae verba v. 15 et 16:

Sed patrii servate Lares: aluistis et idem
Cursarem vestros cum tener ante pedes:

adulescentulus dicere poterat, qui primum arma capessit primumque in belli discrimen vocatur; qui iterum belli pericula subiturus est, dixisset fortasse: O patrii servate Lares; servastis me iam antea, et precor ut iterum me servetis. Sed ne longus sim: mihi quidem non ad iter illud bellumque futurum a Teuffelio excogitatum decima illa elegia pertinere videtur, sed ad bellum Aquitanicum cui Tibullus interfuit[1]), ita ut non ad annum 729, ut vult Teuffelius, sed ad annum 725 vel 726 referenda sit.

Hanc igitur elegiam primam omnium Tibullianarum, quae ad nostram aetatem proditae sunt, fuisse existimo.

Quod autem carmen septimum uno vel duobus annis post elegiam decimam compositum priori illi et suavitate et elegantia longe cedit, inde factum esse videtur, quod res ipsae quae tractantur prorsus aliae sunt atque in elegia decima. Agitur enim de rebus a Messalla gestis, quae multo magis epicae gravitati, quam elegiae facilitati conveniunt. Poeta autem, qui in rebus parvis describendis et arte et ingenio summa cum laude versatus est, maiorum rerum dignitati impar ad rhetoricum illud genus descendit, cuius in Panegyrico plurima vestigia reperiuntur.

Trium igitur annorum intervallum inter Panegyricum et primam Tibulli elegiarum interesse ostendimus. Quo quidem tempore poeta humanitatis studiis et usu vitae ita mentem iudiciumque excoluit, ut praestantiora illa in Marathum et Deliam carmina ceterasque elegias componere et expolire posset.

Itaque ut eo redeat oratio, unde profecta est: illud comprobasse mihi videor, Panegyricum propter temporum condicionem a Tibullo abiudicandum non esse. Nam quae in Panegyrico poeta deliquit, eorum vestigia etiam in septima libri primi elegia insunt, quamquam hoc carmen quattuor

---

[1]) Tib. I, 7, 9 sqq.

annis post Panegyricum scriptum est. Atque leniorem transitum factum esse existimo ab imperfecto Panegyrico, interiectis libri primi elegiis decima et septima, ad elegantia illa et perfecta carmina, qualia sunt libri primi quartum, nonum, octavum, tertium, primum, reliqua, quam si Panegyricum a Tibullo abiudicemus atque septimam elegiam post reliqua libri primi carmina scriptam esse statuamus.

Atque haec quae modo disserui Ovidii quibusdam versibus confirmari mihi videntur. Sunt enim in Trist. II, 463 sq. hi:

legiturque Tibullus
Et placet et iam te [Octaviano] principe notus erat.

Octavianus autem anno 726 exeunte[1]) princeps senatus factus est; ergo Tibullus anno 726 notus erat. Atqui eis elegiis, quae ad Deliae amorem spectant, maximam sibi apud aequales laudem peperit, ita ut Ovidio, si Deliae illae elegiae ante annum 726 editae fuissent, non dicendum esset 'notus erat', sed 'clarus erat'. Quae difficultas facillime ita tollitur, ut Tibullum anno 726 primam elegiam scripsisse statuamus. Is autem, qui et epicum carmen et elegiam composuerat et in lucem protulerat, non clarus, sed notus erat appellandus.

Sed haec de quarto commentationis loco hactenus. Iam ut omnia paucis complectar: cum Panegyricus in Messallam a posterioris aetatis scriptore compositus esse non possit, sed omni ex parte in annum 723 conveniat; cum et sententiis et elocutione et metrorum ratione Tibullo adulescentulo non indignus sit; cum denique temporum descriptioni non solum difficultates nullas obicere, sed nonnullas etiam, quae ex chronologia carminum Tibullianorum oriebantur, tollere videatur: nimiae in me audaciae crimen admittere non mihi videor, cum Panegyricum illum, a multis vituperatum, a paucis defensum, inter vera scripta Tibulli, quo nomine codicum manu scriptorum auctoritate nobis traditus est, referendum esse censeo.

---

[1]) Dio LIII, 1.

Jan. 8. 1875

Vita.

Natus sum Fridericus Gustavus Henricus Hankel a. d. V. Id. Febr. a. 1848 Esperstadii Thuringorum pago, patre Gustavo Friderico pagi sacerdote, matre Friderica e gente Thierbachia. Litterarum primordiis in gymnasio regio Islebensi imbutus maturitatis testimonio accepto Kal. Iun. a. 1867 inter cives universitatis Georgiae Augustae Gottingensis receptus sum ibique audivi E. Curtium, Leutschium, Lotzium, Sauppium. Anno post Lipsiam me contuli. Ibi per annum stipendia merueram et in seminarium regium philologicum receptus eram, cum bello Francogallico exorto ad arma capessenda evocatus sum. Compluribus proeliis, succenturio factus, interfui et quater praemiis militaribus donatus sum; sed item quattuor vulnera accepi, quibus factum est ut per biennium febri iactatus et doloribus cruciatus ad doctrinae studia incumbere non possem. Quamquam autem etiam nunc vulneribus laboro, tamen contigit mihi ut per hos sex menses Lipsiae versarer et praeceptorum lectionibus interessem. Audivi Lipsiae Ahrensium, G. Curtium, Drobischium, Fechnerum, Fritzschium, Klotzium, Langium, Overbeckium, Ritschelium, Voigtium, Zarnckium, quibus omnibus viris praeclarissimis maximeque Friderico Ritschelio, optime de me merito, qui etiam societatis philologae exercitationum participem me esse voluit, gratias ago plurimas. — Scr. m. Mart. a. 1873.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 060 715 6

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 060 715 6